

**Antonii Störck ... Libellus, quo demonstratur: stramonium, hyosciamum, aconitum, non solum tuto posse exhiberi usu interno hominibus, verum et ea esse remedia in multis morbis maxime salutifera. Junguntur simul harum plantarum imagines ære excusæ / [Anton Störck].**

### **Contributors**

Störck, Anton, Freiherr von, 1731-1803.

### **Publication/Creation**

Neapoli : Ex typographia Benedicti Gessari, 1762.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ft27ckgm>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

87005

# ANTONII STÖRCK;

SACRÆ, CÆS. REG. APOST. MAJESTATIS  
CONSILIARII AULICI, ARCHIATRI,  
ET IN NOSOCOMIO PAZMARIANO  
PHYSICI

# LIBELLUS,

QUO DEMONSTRATUR,  
STRAMONIUM,  
HYOSCIAMUM,  
ACONITUM

Non solum tuto posse exhiberi usu  
interno Hominibus, verum & ea  
esse remedia in multis morbis  
maxime salutifera.

*Junguntur simul harum Plantarum  
imagines ære excusæ.*



NEAPOLI, MDCCLXII.  
Ex Typographia BENEDICTI GESSARI:  
*Superiorum licentia.*



ANTONIS STORCK

LIBRARY OF THE  
HISTORICAL MEDICAL SOCIETY  
NEW YORK

LIBELLUS

DE

NYOGIAMIUM

A COMMITUM

THE

LIBRARY OF THE



NEW YORK



ILLUSTRISS. VIRO  
MUTIO ZONÆ

*Pro-Præsidi, & secundo Hispaniarum Protomedico.*

BENEDICTUS GESSARI



Ntonii Storchii, Βο-  
τανικῆς, & Αρχιατρῆς  
Clarissimi, libellus

alter adparuit, quo Stramo-  
nii, Hyosciami, & Aconi-  
a ti



ti saluberrimus in re medica  
internus usus demonstratur .  
Reipublicæ bono me optime  
consulturum putabam, si cete-  
ris de Cicuta Opellis præstan-  
tissimi Viri , hætenus a me  
editis , hoc quoque Opere Ty-  
pographium meum exornarem .  
Cujus tamen tutelæ , ut in  
more positum est , illud com-  
mitterem , anxie quærebam .  
Eccuinam , tacitus cogitabam ,  
eccuinam jure meritoque fiste-  
re possem , nisi MUTIO ZO-  
NÆ , Neapoli olim , nunc in  
Hispania Serenissimi Regis Ca-  
tholici Archiatro Clarissimo ,  
virtute , doctrina , morumque  
suavitæ nemini secundo ? Sa-  
ne , ut mihi licuerit Opuscu-  
lum de Cicuta sub Clarissimo  
tuo Cognomine foras emitte-  
re ;



re ; ita mihi turpe admodum  
esset , si alteri , quod Tibi  
jure debitum est , offerrem .  
Quid enim ? Et non expedie-  
bat Homini , singulari qua-  
dam ratione Tibi obstricto ,  
in culmine honorum tuorum  
quasdam significationes adfer-  
re ? Immo publicum esse vo-  
lo , notumque omnibus , quod  
tibi officium persolvo : ut quan-  
do pro meritorum magnitudi-  
ne grates referre nequeo , vi-  
dear saltem pro boni Viri mo-  
re debitionis confessionem non  
refugisse . Liceat ergo Typo-  
grapho esse gratum , quacum-  
que demum ratione potest :  
non potest autem nisi per hæc,  
quæ parum intelligentibus vi-  
dentur exilia , sed Tibi ita vi-  
dentur , sicuti revera sunt ,  
opi-



opibus ac divitiis nobiliora :  
Vale.

Dabam Neapoli sexto Kal.  
Decemb. An. MDCCLXII.



# PRÆFATIO.

**A** *Efici morbo, molestum est.  
Ferunt tamen ægri hanc mole-  
stiam facile, dum spes curatio-  
nis superest.*

*Dum vero post diuturnum multorum  
medicamentorum usum morbus non tan-  
tum non levatur, verum redditur adhuc  
pejor, tunc malum oritur, quod morte  
ipsa est acerbius.*

*Etenim ægri, qui continuis mise-  
riis divexantur, omni momento vitæ fi-  
nem precantur, exoptant.*

*Non inutilis igitur erit labor, qui  
ad curandos graviores morbos, & ad de-  
tegenda nova ac efficacia remedia im-  
penditur.*

*Herbæ venenatæ nobis multum pro-  
mittunt.*

*Demonstrant id experimenta, quæ  
hiscæ pagellis de Stramonio, Hyoscia-  
mo, & Aconito enarrantur.*

*Harum quidem herbarum virtus spe-  
cifica his nondum determinatur; nam*



## P R Æ F A T I O.

plurimum hucusque in eo versabar : ut doceam primo, qua ratione hæc sine noxa possent dari ægris, & ut prævie dein indicem, in quonam morbo videantur convenire.

Interim certus sum, eum, qui exacte in experiundo fuerit meam normam secutus, nociturum nemini, & profuturum plurimis.

Additur huic opusculo plantarum effigies, ære excusa, ne tam facile in colligendo errores contingant, aut inutilia inter medicos foveantur litigia.





# TYPOGRAPHUS LECTORI

S. P.

**O**puscula, quæ tibi sisto, φιλιατρὰ  
Lector, sunt maturi fœtus fami-  
geratissimi Antonii Störck, viri de Re-  
publica Medica optime meriti, qui im-  
probo labore rei Medicæ satagit, cun-  
ctisque viribus ad praxim Medicinæ ex-  
ornandam incumbit, contenditque; nam  
plantas, quæ vulgo deletrices habitæ,  
singulari ac facili ἐγχείρησι, atque no-  
vis experimentis magna cura, magnaque  
ἀκριβείᾳ institutis, pro reparanda homi-  
num perturbata sanitate, ad usum Me-  
dicum transtulit. Horum opusculorum  
nuncium cum jam a Bibliopolis ultra-  
montanis accepissem, procurationem com-  
mittere meditabar, ut Neapolim expor-  
tarentur; Sed cum hæc animo volve-  
rem, en amicus, qui certiolem me fe-  
cit, & ea jam huc pervenerant, & fue-  
rant a perillustri Gerardo van Swieten  
dono missa, eleganti comite epistolio,  
viro summo Carolo Curzio, Medicinæ



Neapolitanæ ornamēto: & cum me non  
laterent clarissimi Curzii suaves mores  
& singularis humanitas, qua studioso-  
rum conatus & utilitatem magnopere  
prosequitur, hunc oravi, & ut mihi  
illorum copiam faceret, & ut typis meis  
excuderem, qui comitate, qua pollet  
maxima, votis meis indulsit, ultroque  
annuit. Quare aspice, φιλιᾶτρε Lector,  
ut tibi prosim, quantum laboro; inte-  
rea his opusculis fruere, & Vale.







# CAPUT I.

## DE STRAMONIO.



**D**UM biennio abhinc officium  
 aulicum postulavit, ut æsta-  
 tem transigerem in Hetzen-  
 dorf, curamque *Familie*  
*Imperialis*, ibi degentis, ge-  
 rerem, sæpius tempore matutino aut  
 vesperi per prata, colles, vallesque  
 vicinos ambulavi, inquisiturus plan-  
 tas, iis in locis crescentes.

Non adeo ad characteres botani-  
 cos adtentus eram, verum quamlibet  
 plantam, mihi cognitam, consideravi  
 solummodo: cujus utilitatis esset, quo-  
 nam in morbo a Medicis exhiberetur,  
 qualem præstaret effectum.



## 8      CAPUT PRIMUM

Inveni plerumque herbas maxime notas, & ubique in usum medicum receptas, probatasque multa experientia, & annosa praxi.

Mense, autem Junio, Julio, Augusto, vidi penes hortum Imperialem in Hetzendorf, & in vicinis locis, circa Schonbrunn, Pentzing, & Hietzing, ingentem copiam *Stramonii* provenire, crescere, florere.

*Stramonium*, herbæ nomen est officinale; botanicis dicitur *Datura*, pericarpis spinosis, erectis, ovatis. Vide species Plant. *Linæi* pag. 179. ab aliis nominatur *solanum fœtidum* pomo spinoso, oblongo, flore albo, infundibuliformi. Vide *Baub.* pin. 168.

Novi hanc plantam extra omnem usum medicum esse, describique ab Auctoribus generi humano, & brutis summe nocivam.

Novi autem simul, quænam olim essent scripta de usu cicutæ, quæ omnia maximam hujus plantæ vim deleteriam clamitabant.

Quod tamen dein reiterata experien-



## DE STRAMONIO: 9

rientia falsum repertum, demonstra-  
tumque fuit.

Habetur enim inde remedium,  
quod tuto ægris datur, & juvat mul-  
toties.

Hæc dum sæpius animo volvi,  
statui tandem Stramonium colligere, &  
ad tentamen medicum vocare.

Experiendum erat primo: id ne  
verum esset, quod Botanici hac de  
planta scribunt.

Legitur apud quosdam: *Si tantum  
olfeceris Stramonium, ebrietatem facit.*

Periculosum igitur erat experi-  
mentum: nihilominus tamen inde non  
terrebar, & eo, quo cœpi, pede perrexi.

Die vigesimo tertio Junii anni  
1760. summo mane jejuno ventriculo  
ex meis ædibus discessi, plantam hanc  
quæsi, & sat magnam ejus copiam  
collegi.

Fricui folia caulemque digitis for-  
titer, & frequenter olfeci, percepi qui-  
dem gravem, & ingratum nauseosum-  
que odorem, verum nil temulenti,  
nil inebriantis adverti.



10      CAPUT PRIMUM.

Lætabar propterea, & ad experimentum fiebam audacior.

Tertio die curavi magnam quantitatem hujus plantæ adferri.

Et ego ipsemet eam in minuta frustra conscidi (abjecta solummodo radice) dein in mortario marmoreo contudi, & succum expressi.

Nil mali inde in me ortum fuit, nec meus famulus, qui mihi assistebat, quidquam conquerebatur, licet sæpius, & sollicite eum rogaverim.

Peraçto hoc labore optime cœnavi, & in eodem cubiculo, quo hæc fiebant, clausis fenestris tota nocte tranquille dormivi.

Mane evigilans præter consuetudinem sensi obtusum capitis dolorem; cæteroquin eram agilis, serenus, & ad mea negotia aptus.

Sumpto jentaculo evanuit quoque obtusus capitis dolor.

Ex herba conscissa expressi octo Libras succi, & hunc lento igne, in vase terreo, vitreato (sæpius agitando spatula lignea, ne amburatur) ad ex-

tra-



DE STRAMONIO. II

tracti consistentiam redegi.

Vapor avolabat admodum ingratus, is tamen nec mihi, nec meo famulo, qui simul inspissandi curam gerebat, caput turbavit.

Extractum in loco frigido coit in massam nigram, friabilem, quæ innumeris oblongis spiculis salinis splendebat.

Hujus massæ Granum unum, & dimidium linguæ meæ imposui, & cum inde nil incommodi senserim, id palato fortiter appressi, & sæpius linguavolvendo dissolvi.

Adeo ingratum, & nauseosum tunc saporem percepi, ut rejecissem id illico, nisi experimenti amor aliud suavisset.

Solutum tandem deglutivi penitus.

Mansit postea per quadrantem horæ ingratus, & graveolens in ore sapor, qui sensim sponte evanuit.

Assumpto hoc per tres horas nil bibi, nil comedi, ut viderem, quid accideret.

Verum adtentus licet fuerim, nil tamen



tamen observavi, habui me eo die, æque bene ac alias; nec turbabatur memoria nec vis judicandi.

Lætabar plurimum super hoc eventu.

Timui quidem, fateor, in principio, ne id mihi contingeret, quod Auctores de hac planta notarunt.

Etenim mentis privatio morte ipsa acerbior mihi videtur.

Cum autem factò primo experimento in proprio meo corpore nil prorsus mali adverterim, nec eodem die, nec diebus sequentibus, conclusi? *Stramonii* extractum parca Dosi posse tuto exhiberi hominibus.

Agebatur tunc de morbo, in quo conveniret, & de ægris, quibus prodesset.

Consului iterum veteres recentioresque scriptores, nil autem, quod mihi faveret, inveni: etenim omnes scribebant: *Stramonium* turbare mentem, adferre insaniam, delere ideas & memoriam, produçere convulsiones.

Omnia hæc erant mala, interdi-



cebantque internum *Stramonii* usum .

Interim tamen ex his formavi sequentem quæstionem : *Si Stramonium turbando mentem adfert insaniam sanis , an non licet experiri : num insanientibus & mente captis turbando , mutandoque ideas , & sensorium commune adferret mentem sanam , & convulsis tolleret contrario motu convulsiones ?*

Erat hæc idea a longe petita , nec tamen omni felici eventu caruit .

En experimenta !

### EXPERIMENTUM I.

**F**ilia , 12. annor. , a binis mensibus insaniebat , ad rogata turbate respondit , neque ea verba , quæ protulit , poterat bene exprimere .

Morosa erat , & inobediens , nec bonis verbis , nec severis potuit redigi ad debitum officium .

Tentata remedia nil juvabant . Dabatur igitur huic mane dimidium granum extracti *Stramonii* ( *Pilulæ* forma ) & vesperi repetebatur eadem Dosis ,



## 14 CAPUT PRIMUM

sis, superbibendo qualibet vice vasculum jusculi vitulini, vel infusi Théé.

Spatio quatuordecim dierum usu hujus extracti, nil prorsus mutatum fuit in hac ægra.

Verum tertia septimana cœpit fieri minus morosa, longe aptius ad rogata respondit, & loquebatur satis distincte.

Intra binos menses continuato semper eodem remedio (aucta tamen dosi, etenim secundo mense ter quotidie sumfit pilulam dimidii grani) optime cœpit ratiocinari, & preces suas matutinas ac vespertinas (quod antea non potuit) clara & distincta voce recitavit, bonam habuit memoriam, & mens sensim integre redibat.

Ex his eram convictus: *Stramonii* extractum posse dari tuto, diu, & bono cum effectu.

### EXPERIMENTUM II.

**F**emina, 40. aliquot annorum, vertigine jam a binis annis labora-  
ra-



ravit; nec ulla ope potuit inde levari.

Mens sensim turbata est, & vertigini se junxit dementia.

Ferebatur tunc ad nostrum Nosocomium.

Applicata remedia prorsus nullum levamen adferebant.

Imo cœpit hæc ægra insanire fortiter, furere, & noctu surrexit e lecto, clamando turbavit, terruitque alias ægras, & quasdam voluit vi e lecto emovere.

Hoc in statu dedi mane & vespere granum dimidium extracti Stramonii.

Primo statim die fiebat pacatior, noctu autem æque furiosa fuit ac antea.

Tertio die dedi mane unum granum hujus extracti & unum vesperi.

Omnia Symptomata inde mitiora reddebantur.

Ægra noctu quidem clamavit, verum e lecto non surrexit, & brevi iterum obdormivit.

Quarto die jam ad rogata cœpit aptius respondere, mox tamen iterum



rum in pristinas ideas incidit.

Dies noctesque tunc erant fatis tranquillæ, pacatæ.

Octavo die dedi ter quotidie granum unum extracti Stramonii.

Hac dosi in quartam septimanam continuatum est. Hoc tempore componebatur omnis furor, evanuit infanies, rediit mens, loquela, iudicium, & ægra tota nocte æque bene dormivit, ac aliæ ejus sociæ.

Aptissime ad omnia respondit, bene comedit, imo erat vorax, vires habuit bonas, deambulavit in cubiculo, & extra cubiculum in libero aëre.

Attamen vertigo eam frequenter & subito, ut ante usum hujus remedi fieri solebat, turbavit, & subinde adeo vehementer, ut aliquoties quasi apoplectica ceciderit, interim mente sibi erat semper præsens.

Mihi sufficiebat: quod extractum Stramonii insaniam curaverit, & quum viderem, quod vertigo inde non emendaretur, abstinui ab hoc medicamento.

Varia iterum tentavi, quæ vertigi-



DE STRAMONIO. 17

tiginem tollerent , efficere autem nil potui .

Per quinque menses hæc misera in nosocomio adhuc vixit , omnes mentis functiones erant bonæ , vertigo autem sensim fiebat fortior , frequentior .

Et dum ægra erecto corporis trunco & capite in lecto sedit , libera fuit , dum vero capite paulo profundius jaccuit , vel dum corpus movit , accessit illico caligo , vertigo , anxietas .

Vires sensim diminutæ sunt , demum supervenit vera apoplexia , & subita mors .

Sectione Anatomica invenimus omnes venas cerebri varicosas ; sinus falciformis ex anteriore parte erat ad longitudinem unius & dimidii pollicis osseus , anteriores bini ventriculi cerebri erant præternaturaliter distenti , repletique multis hydatidibus diversæ magnitudinis & formæ .

In reliquo corpore viscera omnia sanissima reperta sunt .

Ex his post mortem inventis pa-

B

tet :



tet: vertiginem in hac ægra fuisse malum immedicabile.

Quis enim Medicus, etiamsi hujus morbi cognovisset veram causam, potuisset hydatides tollere, aut finum osseum ad mollitiem naturalem reducere?

Sufficit, quod usu Stramonii fuerit furor compositus & insanies curata; quodque nullum malum symptoma inde sit ortum.

### EXPERIMENTUM III.

**R**usticus, 32. annorum, a tenera ætate diris convulsionibus, & vera epilepsia omni tertia quartave septimana adeo vehementer afficiebatur, ut post quemlibet paroxysmum manserit debilis, mentisque suæ impositus, & demens per plures dies.

Corripiebatur is febre acuta, putrida, unde ferebatur ad nostrum nosocomium.

Postquam per dies quatuordecim in nosocomio fuit, cœpit convalescere.

Finis.



DE STRAMONIO. 19

Finita tertia septimana, dum ex nosocomio voluit discedere, invasit eum convulsio & vehemens epilepsiæ paroxysmus, qui per integras tres horas duravit.

Finito paroxysmo deliravit absque febre, & vires habuit penitus prostratas.

Propinavi ei tunc emulsum sequens:

℞. Camphoræ g. xv.

Sem. Melon.

Amygd. Dulc. aa. unc. jβ.

F. C. Decoct. hord. Emuls.

Colaturæ Lib. ij. adde.

Syrup. Diacod.

—Menth. aa. unc. j.

M.S. sumat æger omni bihorio duo cochlearia.

Spatio viginti quatuor horarum augebantur vires, æger se ipsum in lecto erexit, nec manibus amplius tremuit, verum delirium non cessavit.

Tertio die vorax erat, & vi aliis ægris voluit cibos arripere, & oblata avidissime deglutivit.

Delirio per vices accessit furor.



Quarto die incepti dare mane unam pilulam ( grani unius ) de extracto Stramonii, vesperi eandem dosin iteravi.

Nox pacata fuit.

Die quinto nullus advertebatur furor, attamen erat adhucdum mens penitus alienata, nec ullum aptum responsum dedit æger.

Interim obediens fuit in omnibus, nec ea, quæ ei offerebantur, adeo avidè deglutivit; nec facies amplius adeo torva erat,

Sexto die eadem Dosi continuavi, & symptomata erant quoque eadem.

Idem observabatur die septimo.

Nec quidquam mutatum fuit octavo die.

Nono die dedi ter pilulam unam grani unius.

Hoc die erat æger valde pacatus, & per plures horas post meridiem dormivit.

Mens erat adhucdum turbata: attamen noctes omnes optimo; & profundo somno transigebantur.

Decimo die sæpius apte respondit,



dit, & famem conquestus est.

Undecimo die ambulabat per cubile, & aliis ægris loquebatur, dum vero aliquamdiu loqui continuavit, turbabatur iterum, & inepta protulit; paulo post autem ipse agnovit, quod erraverit, unde se correxit, & bona ratione ad priora rediit.

Duodecimo die fere nihil finistri observatum est.

Decimo tertio die optime se habuit; dixitque, se nunquam caput a deo liberum, & mentem ita serenam habuisse, seque fere toto vitæ tempore languisse, nunc omnia mutata esse, omnia vigere, & esse agilia.

Retinui eum in Nosocomio; ut viderem: an paroxysmus debito tempore rediret.

Interea quotidie dedi ei pilulas tres, & victum sanorum,

Alvum deposuit quotidie naturalem, urinam autem misit copiosam, pallidam.

Omnes functiones erant liberæ, sanæ, robur erat integrum; & muscoli omnes torosi.



Sub initium quartæ septimanæ eum subito præter omnem opinionem invasit paroxysmus epilepticus.

Is autem levis fuit, nec ultra horæ quadrantem duravit.

Nec æger inde vires amisit, nec mens ei emota est.

Lætabar propterea, fecique, ut æger easdem pilulas in eadem dosi continuaret.

Post paucos dies dum optime se haberet, rogavit, darem ei bonam harum pilularum portionem, ut iis domi suæ posset uti, promittens, se illico rediturum ad me, si vel minimum malum adverteret.

Verum ab eo tempore eum non amplius vidi.

Cum bonum ex his pilulis effectum habuerit, credo, quod nosocomium iterum accessisset, si eum denuo morbusprehendisset.



## EXPERIMENTUM IV.

**P**Uella, 9. annor., jam a quatuor septimanis quotidie aliquoties fortissima convulsione totius corporis vexabatur.

Medici peritissimi omnem operam impenderunt, ut miserrimam hanc puellam liberarent.

Morbus tamen nequaquam mitior factus est.

Suasi: ut daretur mane, & vespere granum dimidium extracti Stramonii.

Augebantur inde convulsiones.

Altero die iterum mane dabatur dimidium granum, & totidem vespere; verum magis increvit morbus.

Cessatum tunc est per aliquot dies ab usu hujus extracti; tandem denuo fuit exhibitum, ast priora oriebantur symptomata.

Hinc erat illico in hac ægra ab hoc remedio abstinendum, & ad alia iterum recurrendum.



*EXPERIMENTUM V.*

**J**Uvenis viginti aliquot annorum ,  
jam a pluribus annis sævissima e-  
pilepsia laboravit.

Causam mali ignorabat.

Paroxyfmus eum quotidie quater,  
quinq̄ies, sexies aut septies subito in-  
vasit, isque semper per mediam horam  
& ultra duravit.

Vires inde debilitabantur , mens  
fiebat hebes , facies tota tristis & me-  
lancholica .

A nullo remedio hucusque leva-  
men habuit .

Dedi igitur ter quotidie granum  
dimidium extracti Stramonii .

Hac dosi per quatuor dies ute-  
batur æger, verum nullam inde mu-  
tationem percepit.

Dedi dein ter quotidie granum in-  
tegrum .

Unde paroxyfmi fiebant minus  
frequentes, breviores.

Sensim mens reddebatur serenior,  
fa-



DE STRAMONIO. 25

facies hilarior, & loquela liberior, quæ antea difficilis erat & impedita.

Vigesimo die dedi quatuor grana. Morbus dein erat adeo mitis, ut per diem tantum unus alterve levis paroxysmus adverteretur.

Corporis vires auctæ sunt, & omnis melancholia sensim disparuit.

Trigesimo die dedi quinque grana.

Trigesimo primo die bini tantum leves paroxysmi observabantur.

Trigesimo secundo & tertio die æger penitus liber fuit.

Trigesimo quarto die ter eum morbus invasit, & multo vehementius, quam die trigesimo primo.

Trigesimo quinto sextoque die æger bene se habuit, appetiit, fuit hilaris.

Trigesimo septimo die bis convellebatur fortiter.

Trigesimo octavo die tres leves paroxysmi observati sunt, qui tantum per unicum momentum durarunt, & sub his mens non est turbata.

In precedentibus vero paroxys-  
mis



26 CAPUT SECUNDUM

mis semper debebatur memoria, & omnis sensatio.

Trigesimo nono die liber fuit æger. Dedi eodem die sex grana extracti Stramonii.

Hac dosi continuavi adhuc per integrum mensem, & æger erat fere curatus, tunc autem remedium mihi defecit, & erat tempus hyemale, quo parari non poterat.

Hinc experimentum, quod optime cessit, erat interrumpendum.

Suasi: ut alia interim sumeret remedia, verum quum ei has pilulas amplius dare non potui, renuit omnia.

CAPUT II.

*DE HYOSCIAMO.*

**H**abet hæc planta radicem crassam, rugosam, multifidam, foris fuscam, intus albam, constat foliis molli-  
libus, amplis, lanuginosis, graveolen-  
ti-



DE HYOSCIAMO. 27

tibus; caules sunt bicubitales, crassi, ramosi, densa lanugine obfiti flores monopetali, in quinque segmenta obtusa divisi, coloris sublutei, intercurrentibus aliquot venis purpureis &c. crescit circa omnes pagos, & in viis publicis.

Attamen usus ejus internus a plurimis auctoribus prohibetur.

Sunt quædam in dispensatorio compositiones, quas extractum hujus herbæ ingreditur.

Verum adeo parva portio prodosi semper venit, ut præstare omnino nil possit.

Solum igitur extractum, quid in corpore humano ageret, experiri statui.

Ex planta recenti ( sine radice ) succum expressum leni igne ad extracti consistentiam inspissavi.

Primum experimentum in cane mediocri institui, ingerendo ei bolum granorum decem hujus extracti.

Nullam prorsus mutationem in cane observavi, cucurrit alacriter, &  
ob-



oblata bono appetitu devoravit.

Tertio die dedi eidem canigrana viginti cum offa carnis.

Neque inde aliquod symptomatum est.

Sexto die binas drachmas hujus extracti vi ingessi in ejusdem canis ventriculum.

Meticulosus erat per aliquot minuta, dein vero bibit copiosam aquam, & carnes oblatas devoravit.

Post mediam horam languit, oculos tenuit apertos, & pupillam maxime dilatatam, eundo titubavit, impexit in obstacula, & fere nihil vidit.

Composuit se se dein ad somnum.

Anxius erat in somno, & scrobiculum cordis sæpius vi introrsum trahabatur.

Post binas horas cœpit vomere omnia ingesta, stando tremuit, eratque debilis.

Postquam ter vomuit, solvebatur quinquies alvus,

Prodierunt fæces liquidæ, subfusæ, magna copia, & multum fætentes.

Ocu-



DE HYOSCIAMO. 29

Oculi manserunt immobiles, & pupilla valde dilatata, & visus videbatur fere deletus.

Canis dein iterum cœpit dormire spasmus circa cordis scrobiculum minuebantur, & sensim cessarunt penitus.

Somnus durabat per quatuor horas, & canis jacuit admodum tranquillus, nec agitabantur membra, ut id paulo ante fieri solebat.

Post somnum oculi erant naturales, canis objecta optime videndo distinguebat, vires bonas habuit, fuit alacer, panem, & carnes magno cum appetitu deglutivit.

Retinui hunc canem per plures septimanas, sanus erat semper, vigil, & agilis.

Videbam ex hoc, parva dosi extractum hyosciami non posse nocere, magna autem copia datum excitare turbas, & anxietates.

Sumsi igitur per octiduum quotidie matutino tempore jejuno ventriculo granum unum.

Habui me æque bene, ac alias,  
fa-



30 CAPUT SECUNDUM

sanus fui, nec in visu quidquam mutatum adverti.

Hoc enim symptoma in cane mihi erat suspectum.

Iis tamen diebus, quibus hoc affumsi, alvus erat liberior, & appetitus longe major.

Cum per octiduum hoc tentaverim sine ulla noxa, credidi, & illud ægris exhibendum esse.

Verumtamen iis tantum in casibus, ubi reliqua medicamenta, non prodesse.

Brevi sese obtulit casus sequens.

*EXPERIMENTUM I.*

**F**oemina 37. annor., jam ultra sesqui annum diris convulsionibus fere quotidie vexabatur.

Hæ autem convulsiones nequam totum corpus occuparunt, verum vagæ erant, & jam pectus, jam venter, jam pedes, jam brachia &c. inde afficiebantur.

Ingentes dolores passa est ægra,  
vires



DE HYOSCIAMO. 31

vires penitus prostratæ sunt, & appetitus deletus, nec unquam dormire potuit; subinde vomuit copiosam bilem æruginosam.

Dum convulsiones ventris inferiora occuparunt, tunc ani sphincter adeo fortiter contrahebatur, ut nullo molimine cannula pro clysmate introduci potuerit, & tunc quoque urina fiebat stranguriosa, & aderat perpetuus ac summe dolens alvi tenesmus.

Remedia, & a veteribus, & ab hodiernis commendata, multisque experientiis contra convulsiones probata, in hac ægra fuerunt sine ulla efficacia.

Solum opium, idque magna dosi, paroxysmos mitigavit, sopivit dolores, nervorumque motus convulsivos tandem compescuit; nec tamen impedivit, ne idem malum brevi iterum rediret, præterea fæces retardavit, alvumque adeo strictam reddidit, ut nec enemata quidquam potuerint educere.

Cognita igitur remedia, cum in hac ægra adhibebantur incassum, de-  
di



32 CAPUT SECUNDUM  
di Hyosciami extractum.

Sumpsit ægra granum unum tempore matutino, alterum hora ante prandium, & tertium vesperi.

Spatio quatuor dierum advertit appetitum redire, alvum esse liberio-rem, neque paroxysmos amplius tanta violentia sævire.

Dosin igitur auxi, & exhibui ter de die duo grana extracti Hyosciami.

Libera dein fuit per septem dies ab omni convulsione, appetiit, alvusque prodiit sponte copiosa, pultacea, somnus erat tranquillus, reficiens.

Octavo die leves tantum insultus habuit in ventre, & pedibus; hi autem opio brevi supprimebantur.

Dedi dein novem hujus extracti grana per diem, alvus inde manebat aperta, & appetitus satis bonus.

Continuavi hac dosi per binos menses, & cum nullum advertebatur convulsions signum, tandem ab ulteriori usu destiti.



## EXPERIMENTUM II.

**V**irgo, 24. annor., a quinque septimanis in pede dextro tremorem convulsivum habuit, ideo nec quiete jacere, nec federe, minus ambulare poterat.

Tentatis jam variis remediis, demum dedi mane, & vesperi granum unum extracti Hyosciami.

Quinto die cœpi ter dare quotidie granum unum.

Intra paucos dein dies minuebatur tremor, & spatio trium septimanarum malum hoc penitus evanuit.

Alvum hæc ægra sub usu pilularum quotidie copiosam deposuit, antea autem tantum omni biduo, aut triduo dura scybala magno cum molimine dimisit.

In urina quoque observabatur coloris mutatio, hæc enim semper limpida, aquosa, inodora fuit, & usu pilularum reddebatur colore naturalis, aut quandoque ex rubro fusca, & tunc



### 34 CAPUT SECUNDUM

secessit ad fundum vasis nubecula crassa, glutinosa.

Quod autem attentionem meretur, est: quod hæc ægra semper media hora post assumptam pilulam, cœperit sentire frigus, & horrorem per totum corpus, oriebantur anxietates, prodiit mador subfrigidus, debilitabatur visus, aderatque sensus incipientis animi deliquii.

Hæc autem symptomata ultra bina triave minuta non durarunt, & tunc ægra iterum bene se habuit, nec amisit vires, & malum in pede minuebatur; ideo hujus remedii usum continuavi, non tamen auxi dosin.

Hac ratione integre curabatur.

### *EXPERIMENTUM III.*

**V**Iro sexagenario majori, qui jam a sesqui anno in utroque pede tendinum subsultus involuntarios patiebatur, & cui nullum remedium adhuc levamen attulit, dedi quoque Hyosciami extractum, augendo sensum



sim dosin, donec per diem assumpfisset grana duodecim.

Mentem inde advertit magis hilarem; verum morbus mansit in eodem statu, licet remedium diu fuerit continuatum.

Notandum autem est, malum hoc a contusione vertebrarum lumborum esse ortum.

Nec unquam mihi spes erat hunc agrum his pilulis curandi, sed cum tot medicamenta exhibita nil effecerint, volui, & hoc exhibere; contentus, quod viderem, id nullam ei noxam adferre.

#### EXPERIMENTUM IV.

**V**irgo, 15. annor., chronica cordis palpitatione multum affligebatur, nec corpus citra anxietatem summam, aut metum suffocationis, aut animi deliquium movere licuit.

Remedia quæcunque exhibita, licet maxime in hoc morbo celebrata,



36 CAPUT SECUNDUM

malum potius auxerunt , nec attulerunt levamen .

Dedi igitur granum unum extracti Hyosciami mane , & unum vesperi .

Malum inde brevi mitigatum fuit , & ægra longe liberius potuit corporis motum exercere .

Dedi dein ter die granum unum hujus medicamenti , & post dies octodecim malum integre filuit .

Ante usum harum pilularum fiti indelebili omni tempore matutino ægra vexabatur , cessavit autem fitis , dum quievit cordis palpitatio .

Evanuit quoque nimium frequens urinæ fluxus , etenim hæc ægra antehac fere omni hora copiosam , & limpidissimam urinam misit .

Etiam increvit ciborum appetitus .

Volui aliquoties in hac ægra medicamenti dosin augere , & dare pro qualibet vice grana duo .

Verum ægra hanc quantitatem non tulit , etenim quoties bina grana assumpsit , toties afficiebatur dolore colico , qui autem nec admodum sævus fuit , nec diu duravit .

*EX.*



## EXPERIMENTUM V.

**V**ir, triginta aliquot annorum, ex animi pathemate incidit in melancholiam, hæc sensim increvit, atque tandem in veram maniam transiit.

Delebatur appetitus, noctes erant infomnes, aderat fere continuum meticulosum delirium, vires minuebantur, & æger frequentes horrores, rigoresque in spina dorsi sensit, quos conquerebatur, dum lucidum intervallum habuit.

Vena ipsi secta est aliquoties, quum sanguine abundavit, data sunt purgantia, aliaque remedia, nil tamen in melius mutatum fuit.

Imo malum fiebat pertinacius.

Paregorica & opiata, magna quamvis dosi exhibita, nullum adferebant somnum, noctes inde magis inquietæ reddebantur, mens fiebat anxia, oriebaturque febris.

Conclusi ideo tentare Hyosciami extractum.



## 38 CAPUT SECUNDUM

Exhibui statim ter de die granum unum hujus extracti .

Nox prima jam magis tranquilla fuit , & altero die viguit appetitus .

Tertio die æger jam sex grana assumpsit .

Cessaverunt tunc horrores rigoresque , qui per spinam dorsi versus caput ascenderunt , & ægri metum auxerunt .

Delirium quoque jam tunc mitius fuit , & alvus , antea segnis , & durissima , prodiit libere , pultacea , copiosa binis ternisve vicibus quotidie .

Sexto die dedi novem grana .

Spatio decem dierum jam fere restitutus videbatur hic æger .

Me incscio tunc pilularum usum interrupit , & mox morbus iterum pejor erat .

Sensit tunc ipse & fatebatur , quod levamen ingens ex hocce medicamento haberet , atque ideo statim id iterum cœpit assumere .

Ultra tres septimanas continuavit  
su-



fumendo quotidie quindecim hujus extracti grana .

Bene tunc se habuit, potuit iterum suo officio fungi .

*EXPERIMENTUM VI.*

**H**omo, 33. annorum, per plures septimanas sputum ejecit striis sanguineis mixtum, vexabaturque tussi multa titillatoria, & nocte erat anxius .

Multum laboris in curando hoc morbo impendi, & videbatur subinde uno die malum minui, altero autem die prior iterum scena ludebatur .

Dedi tunc granum unum mane extracti Hyosciami, & unum vesperi .

Nox fuit longe tranquillior, & æger sibi opium datum esse, putavit .

Secundo die jam sputum striatum minuebatur, & nox iterum tranquilla fuit .

Tertio die dedi ter granum unum hujus extracti .

Disparuit tunc omnis sanguis in



40 CAPUT SECUNDUM

spuito , prodiit mox materies subflava , bene cocta , & pectus erat multo liberius .

Auxi dein dosin & sexto die exhibui novem grana , mane nimirum tria , tria versus meridiem , & reliqua vesperi .

Hac dosi per quatuor septimanas continuatum fuit .

Prodibant tunc spuita bene cocta , pectus fiebat liberum , appetitus magnus , alvus quotidie ter , quaterve solvebatur glutinosa , ægri vires bonæ erant .

Et quoniam dein omnis fere tussis aberat , ægerque bene se habuit , ab usu pilularum cessatum est .

*EXPERIMENTUM VII.*

**N**obilis matrona , 47. annorum , incidit ex ira vehementi in hæmoptoen .

Venæ sectionibus & remediis variis tunc secundum indicationem adhibitis , sanguinis prodeuntis quidem



DE HYOSCIAMO. 41

copia minuebatur, sputum tamen manebat semper multo sanguine tinctum.

Adstringentia, opiata, involventia &c. retinuerunt sputum, cohibuerunt tussim, & pectoris anxietates excitarunt, & febrim, & delirium.

Nec malum levabant: etenim paulo post iterum major sanguinis copia tussi violentissima protrudebatur.

Tentavi Hyosciami extractum, & ter de die dedi granum unum.

Eodem die observabam, sputum minus sanguinis secum habere, & ægra pectus levari sentiebat.

Noctu tamen tussis irrita & defatigans opio debuit mitigari.

Altero die eadem pilularum dosi continuatum fuit. Sputum tunc prodiit glutinosum, subflavum, & paucæ tantum striæ, aut puncta sanguinea in eo conspiciebantur.

Tertio die dabantur ter bina extracti grana.

Appetitus inde excitabatur, alvus antea segnis & difficilis jam sine ullo molimine soluta est, secessitque per  
infe-



42 CAPUT SECUNDUM

inferiora multum gluten.

Nil amplius sanguinis in sputo, quod copiosum, & bene coctum erat, reperiebatur, & augebantur ægrotantis vires.

Septimo die jam novem grana per diem dedi, sputum ejiciebatur libere, nec ægra amplius sensit eos spasmos, qui ante pilularum usum toties pectus faucesque ita constrinxerunt, ut suffocatio esset timenda.

Undecimo & duodecimo die advertit ægra semper quadrante horæ post assumptas pilulas oriri levem dolorem colicum, & tum solvebatur alvus, prodiitque multum gluten, & materies simillima ei, quæ sputis rejiciebatur.

Ægra inde se affici & debilitari conquesta est, unde suasi, ut ab usu harum pilularum per aliquot dies cessaret.

Observavi autem tunc, appetitum diminui, & post paucos dies pectus erat anxium, nec debito tempore prodiit alvus.



DE HYOSCIAMO. 43

Rogavit igitur, ei iterum pilulas exhiberem.

Sumit nunc per tres septimanas quotidie tria grana, & appetit, bene dormit, excretiones rite procedunt; & restaurantur vires.

*EXPERIMENTUM VIII.*

**H**omo, 30. annor. ex ira & subito terrore adeo melancholicus & meticulosus fiebat, ut sese absconderit in omni angulo, ut vel muscas volantes timuerit, fugerit.

Erat simul instar muti, nec enim bonis promissis, nec severis verberum minis ex eo verbum elici potuit.

Delebatur appetitus, aberat omnis somnus, vires minuebantur, homo demens, ad nil prorsus aptus, bruto minus rationis habere videbatur.

Venæ sectiones, & tentata plurima remedia malum potius auxerunt.

Nec juvabant animi diversiones, quas olim plurimum amabat, verberum minæ tantam induxerunt pusillanimitati-



#### 44 CAPUT SECUNDUM

nimitatem, ut convulsiones, aut aliud malum fuisset timendum.

Dato autem extracto Hyosciami statim secunda nocte cœpit tranquille dormire, oculi & facies longe sereniores erant.

Intra octiduum metus multum minuebatur, etenim nec amplius cubilis angulos quæsit, ut se absconderet, nec fugit hominum confortium, nondum tamen verbulum loquebatur.

Tertia septimana jam cœpit iterum suos labores, qui magnam attentionem requirebant, apte peragere.

Circa finem mensis ad rogata respondit, solus tamen nemini adhuc loquebatur.

Secundo mense cœpit joculari, loqui, & jam nunc videtur integre restitutus.

In principio ter quotidie dabatur granum unum extracti hyosciami, quarto die dabantur sex grana, sic omni tertio vel quarto die augebatur  
dosis,



dosis, donec assumpsisset quotidie grana viginti.

Sequentes casus doctissimus Dominus *Colin* in nostro nosocomio observavit, scriptasque dedit morbi historias.

### EXPERIMENTUM IX.

**A**Nna Maria Kaltenekerin 30. annor. acerbis verbis & minis die secunda Septembris furti accusabatur.

Unde ita turbata fuit, ut in continuo delirio, circa res terrificas versante, jacuerit.

Nec ex hoc delirio rediit, licet innocens fuerit declarata, & falsus accusator petierit delicti veniam.

Undecima Septembris ad nos delata, ne momentum quietis habebat clamans continuo: se videre dæmonem, negansque se furatam esse, ac inter sagas pertinere: dein toto corpore tremebat, & fugam moliebatur tanta vi, ut plures custodes ipsam in lecto



## 46 CAPUT SECUNDUM

lecto retinere non potuerint: hinc loris illam lecto coercere coacti fuimus.

Interim pulsus & respiratio mutabantur secundum varia phantasmata, quæ menti apparebant: lingua erat humidissima, oculi erant torvi, iracundi, alvum inficia deponebat in lectum.

Fecimus omnia, quæ artis erant ad 18. Septembris usque, ut miseræ levamen afferremus, verum operam lusimus, & ægra immutata permansit: & datis una dosi binis granis opii puri vix brevem somnum illi procurare poteramus, a quo evigilans, pedus se jactabat.

Dedi tunc hyosciami extractum.

Per tres primos dies binas pilulas sumpsit, unde ægra pacatior fieri videbatur, dein sumpsit tres pilulas de die, nempe unam mane, aliam circa meridiem, & tertiam vespere.

His sensim rediit quies menti.

Sub finem Octobris perfecta sanitate fruens nosocomio valedixit.



Viderat illam illustrissimus Præses undecima Octobris, & alii celeberrimi viri.

*EXPERIMENTUM X.*

**T** Heresia Liedmayerin, 18. ann. nata, decima sexta Julii ad nos venit, plures jam Epilepsiæ paroxysmos passa.

Quoniam menses suos adhuc nunquam habuit, omnem operam impendi ad eos ciendos, qui pro prima vice initio Augusti sat bene fluxerunt, postquam in nosocomio jam octies paroxysmum epilepticum habuisset.

Sperabam tunc, fore, ut fluentibus catameniis ægra ab Epilepsia liberaretur; verum paucis diebus elapsis reversus est dirus morbus, ægram fere omni die impetens, nullis medicamentis leniendus.

Initio mensis Septembris catamenia iterum habuit per tres dies sat copiosa, quorum tempore pluries de die convellebatur.



## 48 CAPUT SECUNDUM

Sub finem demum Septembris , ita vehementer ad omnem partem corpus in paroxysmo distorquebatur , ut adstantes continuo crederent , mox artus , mox spinam dorsi , ob convulsio- num vehementiam frangi debere .

Hinc experiri licuit , quid pilulæ de extracto Hyosciami , quæ priori ægræ adeo salutare serant , in hoc gra- vissimo casu præstare possent .

Primis diebus tres pilulas assump- pit , verum malum inde parum leva- batur , paroxysmi erant æque vehe- mentes , nullum tamen a medicamen- to malum oriri videbam .

Hinc ter de die binas pilulas de- di , ( quælibet pilula habebat pondere granum unum ) quibus effectum est ut 20. Octobris nihil de morbo appa- ruerit .

Continuavit ægra pilulis uti ad finem Novembris usque , tum optime valens recusavit diutius in nosocomio commorari .

Ab eo tempore pluries ipsam vi- di , & 24. Martii adhuc apud me fuit

in



in nosocomio sanissima, gratias adhuc  
agens pro recuperata sanitate,

Sub usu pilularum aliquoties ob  
alvum tardiozem purgans dare debui.

### EXPERIMENTUM XI.

**E** Leonora Gallapin, 22. annorum,  
18. Augusti ad nos venit cata-  
meniiis jam in quartum mensem ca-  
rens, & magno capitis dolore, & ver-  
tiginē a binis hebdomatibus affecta.

Ægra aspectu sanissima videba-  
tur, appetebat, alvus omni die spon-  
te dimittebatur, fitis non erat præ-  
ternaturalis, pulsus tamen plenus tan-  
gebatur, & omni mane celerior, at-  
que ægra ob vertiginem extra lectum  
esse non poterat.

Venæ sectionem & alia medica-  
menta adhibui, quibus menses adhuc  
sub finem Augusti prodierunt, cum  
aliquo capitis levamine.

Sperabam ideo ægram brevi sa-  
nitati restituendam, verum tertia Sep-  
tembris circa decimam matutinam in-

D cepit



## 50 CAPUT SECUNDUM

cepit paulisper extremis frigere; Incaluit demum primo caput, dein calor descendit ad artuum extremitates usque, tunc incepit cantare, & dum accederet assistens meus, valde clamavit, & strophio oculos texit, custodem autem, & alias foeminas minime timebat.

Hoc duravit circiter per bihorium; dein dormivit per tres horas, valde calens, cum parva & celeri respiratione, ac tempore somni multum sudavit.

Evigilans ignorabat omnia, quae ante somnum fecerat.

Sequenti die dum mane aderam, monuit me ipsa, sibi nunc esse, ut praecedenti die, dum paroxysmus inceperat: hinc sollicitè omnia examinavi: nulla parte corporis, ne quidem capite dolebat, respiratio erat bona, pulsus rythmo inæqualis, paulo contractior, oculi erant humidi, facies roseo colore tincta, lingua humida, abdomen vero tensum erat sine nimio dolore.

Post



Post  $\frac{1}{2}$  horam jam calebat toto corpore, ac jam viri aspectum metuebat, læta tamen videbatur, ridebat sæpe ac brevi varias amatorias cantilenas cantavit; demum de diversis rebus sine connexione locuta, incepit dormire. Pulsus erat tunc liber, plenus, celer, aliquando inæqualis, respiratio difficilis, abdomen tunc minime tensum erat, post horam evigilans pulsum habebat naturalem, nec sciebat, quid ante somnum egisset.

Dedi ipsi solventissimum graminis decoctum, quo per 6. dies usa est, quo tempore omni die quandoque semel, aliquando bis paroxysmum habuit.

Caput his paroxysmis multum debilitabatur, & sæpius vertiginosum erat: hinc corticem peruvianum ipsi dedi, cujus unc.  $\text{ij}\beta$  intra quatrimum absumptæ in substantia, ne minimam mutationem effecere:

Cum viderem, corticem peruvianum nihil efficere, decoctum foliorum aurantiorum præscripsi, quo per octi-



dum etiam usa est, verum inde nihil mutata fuit.

Dedi dein solita antihysterica cum laudano copioso, & emplastrum aromaticum laudano & oleo menthæ mixtum abdomini applicui, unde paroxysmi minus frequentes facti sunt;

Verum dum ingruebant, diutius durarunt, & ægra finito paroxysmo multo debilior erat, quam post præcedentes, qui frequentiores accidebant.

Continuavi tamen hac methodo ad secundam Novembris usque, sperans, morbum demum cessurum medicamentis, verum vana spes fuit, malum enim vel omni die vel saltem alterno die redibat.

Hinc dedi ipsi pilulas de Hyosciami extracto, ut ter de die unam sumeret.

Eo die non habuit paroxysmum, & qui die sequenti accidit lenis erat, & libera fuit usque ad diem octavam Novembris, qua die lenissimus fuit & brevis paroxysmus.

Perrexit ægra eandem dosin sumere



mere per quinque hebdomadas, nec amplius rediit morbi insultus, retinui eam tamen in nosocomio adhuc per longum tempus donec rogaret, ut liceret ipsi discedere, quod facile concessi cum sana, & robusta fuit.

Dedi illi adhuc dosin pilularum, ut subinde sumeret.

Tertia Martii nosocomium accessit optime valens, & aiebat, se ne minimum incommodum ab eo tempore percepisse, quo ex nosocomio discesserat.

### EXPERIMENTUM XII.

**R**egina *Ehrhardtin.* 20. annorum, 27. Aprilis ad nosocomium delata est, dum accessi jam a media hora abdomen continuo valida convulsione agitabatur; videbatur quoque idem in diaphragmate contingere: subito enim pectus valide dilatabatur, costæ ascendebant, & citissime iterum collabebantur, accedebat per interval-  
la vehementissimus singultus, risus sar-



## 54 CAPUT SECUNDUM

donius, ægra voce privabatur, ac ablatum potum difficile admodum deglutiebat, pulsus erat plenus, fortis, celer.

Venæ sectionem illico instituentem conclusi, sanguis prodiit consistentia & colore bonus, respiratio paulo est facta levior.

Pro medicamento dedi emulsum refrigerans cum syrupo diacod., enema emolliens ipsi injectum est, quod per horam retentum reddidit cum facibus coctis; regioni ventriculi scutum stomachicum ex Empl. diabot. q. f. & Laud. pur. & Camph. aa. gr. XV. applicatum est.

Sub vesp̄eras sensim remiserunt omnia symptomata, & a media nocte ad quintam matutinam sat bene dormivit ægra.

Mane admodum debilis erat, & aiebat sibi videri totum pectus anteriorius, & epigastrium quasi a verberibus contusum esse. Pulsus erat utcumque inæqualis.

Narravit, se jam a quatruiduo nulla



la cognita causa per vices difficile spirare, angi, nunquam autem talem insultum passam esse, qualem die præcedenti videramus; loco emulsi decoctum emolliens tunc assumpsit, ac enema iterum injectum est: diem ac noctem sequentem sat bene transegit.

Trigesima autem Aprilis, dum mane accederem, inveni illam in æque malo statu ac die vigesima septima; febris tamen moderatior videbatur, & facilius deglutiebat: commendavi, ut ipsi sæpius jusculum calidum propinaretur, scutum stomachicum mansit applicatum ventriculo, & ægra decocto emolliente continuavit uti.

Præterea proscribatur mixtura cum uncia una corticis peruviani &c. ut eam, finito paroxysmo intra viginti quatuor horas absumeret.

Nox fuit inquieta, & prima Maji mane de magna anxietate conquerebatur, ac dicebat sibi præcordia dilacerari.

Jussi enema injici, ac præter mixturam cum cortice peruv. sumpsit



56 CAPUT SECUNDUM

decoctum radice falab .

Sequenti nocte paululum dormi-  
vit , & circa quartam matutinam pa-  
roxysmo iterum correpta est , sed va-  
lidiori , quam fuerat præcedens .

Circa meridiem cessavit malum ;  
verum ægra valde debilis erat , & no-  
vam dosim corticis in extracto ince-  
pit fumere .

Noctu iterum fortiorem morbi in-  
sultum passa & hinc cum a cortice  
exacerbari omnia viderem , dedi tertia  
Maji binas pilulas de extracto Hyo-  
sciami ter de die fumendas , & jussi ,  
ut ipsi sæpius jusculum calidum ex-  
hiberetur .

Nox fuit pacatior , & sequenti  
die paroxysmo leniori correpta fuit :  
eandem pilularum dosim perrexit fu-  
mere .

Alvum sponte habuit , & noctu  
optime dormivit .

Quævis pilula habuit pondere gra-  
num unum .

Quinta Maji sub vesperras insul-  
tum mali binarum horarum spatio pas-  
sa



DE HYOSCIAMO. 57

sa est; verum poterat loqui, & facile juscula deglutiebat, motus quoque convulsivus minor erat.

Redivit irregularis, & levis tantum paroxysmus modo omni die, modo omni alterno die usque ad decimum quintum Maji; ab eo autem tempore nil amplius mali observatum est.

Perrexit adhuc pilulas fumere usque ad finem mensis Maji.

Quarto Junii vidit illam Illustrissimus Præses optima sanitate gaudentem.

Toto morbi tempore urina semper bene colorata cum enæoremate fundum petente conspiciebatur.

EXPERIMENTUM XIII.

**J**uliana Gruberin, 27. annorum, venit 14. Julii ad nosocomium.

Dicebat, se jam a quatuor hebdomadis contractione ventriculi, anxia respiratione laborare, ac se a 15. diebus difficillime deglutire.

Dum prima vice illam vidi, fœ-  
mi-



## 58 CVPUT SECUNDUM

mina tota emaciata erat , ac ita defatigabatur , dum aliqua cochlearia jusculi cum pane assumeret , ut vix binas uncias magno labore potuerit deglutire .

Inspectæ fauces nihil morbofi pro se ferebant , pulsus præter inæqualitatem nihil præternaturalis habebat , abdomen & hypocondria erant mollia , alvus omni die vel omni biduo prodibat naturalis , urina erat aquosa ; fitis nulla aderat , inquieta diu noctuque jacebat ægra , parum dormiens .

Antequam ad nosocomium deferretur varia a diversis hominibus medicamenta assumpserat sine levamine .

Hinc statim de extracto Hyosciami cogitavi , probavi tamen antea per tres dies , quid efficerent usitata remedia nervina , anthysterica , ac simul totum collum cetaplasmate emolliente involvebam .

Verum inde nec minimum levata est ægra .

Die decimo octavo Junii datæ sunt  
 ipsi



DE HYOSCIAMO. 59

ipsi duæ pilulæ de extracto Hyosciami ter de die .

Die 19. Junii jam levamen percipiebat , & die vigesimo secundo deglutitio libera erat .

Subinde tamen recurrebat levis deglutiendi difficultas , ac ventriculus spasmò constringebatur .

A die vigesima tertia Junii purgabatur quotidie ter quaterve usque ad secundam Julii , & optima tunc fruebatur sanitate .

Per plures adhuc dies in nosocomio retenta nil conquerebatur , hinc perfecte sana dimittebatur .

Sunt adhuc multi variis nervorum morbis laborantes , quibus has pilulas cum effectu exhibeo ; verum cum absoluta nondum fit curatio alia occasione eorum historias referam .



## CAPUT III.

## DE ACONITO.

**A**conitum alias dicitur *napellus* flore cæruleo, cucullato &c. est aconitum *Linæi* foliorum laciniis linearibus, superne latioribus, linea exaratis, spec. plant. pag. 532.

Planta hæc inter summa venena hucusque recensetur.

Attamen celeb. *Linæus* vidit in parte Sueciæ septentrionali folia hujus herbæ, pauca pinguedine cocta, impune comedi a muliere, marito, duobus liberis & alia vetula. *Flora lapon.* pag. 179.

In hortis plerumque culta fuit, ut ornamento esset.

De experiendis hujus plantæ viribus jam per plures annos cogitavi; deerat autem occasio, & necessarii labores me in aliis nimium detinuerunt.

His autem nunc aliquantulum in ordinem redactis, momenta quædam reperui, in quibus me huic operi dare poteram.

Ex-



DE ACONITO. 61

Experimenta, ut rite fierent, & sine præjudicio, delevi omnem in me ideam, quam habui ex auctoribus materiæ medicæ, id tantum retinui: plantam esse suspectam.

Sola igitur natura monstrante viam, & ratione simplici duce sequentia tentavi.

Herbæ folia & caulem redegì in pulverem.

Pulveris hujus paucam quantitatem linguæ imposui, ardor inde excitabatur linguæ diu inhærens, & momentanei, vagi, lancinantisque dolores linguam sæpius pervadebant, nil autem inde mali secutum est, pulvis supra lingua per bina minuta relictus nec attulit inflammationem, nec induxit rubedinem.

Quamdiu in lingua ardor mansit tamdiu copiosa affluebat saliva, cæteroquin nil prorsus incommodi advertebatur.

Inspersi dein huc pulverem ulcere cancroso, fungoso, visurus: an vim causticam consumentem haberet.



62 CAPUT TERTIUM

Primo die levis oriebatur suppuratio, & æger nullum dolorem, nec ardorem conquestus est.

Secundo, tertio, quarto, & quinto die idem observatum fuit, neque fungosum inde consumebatur.

Licuit igitur hinc concludere vim causticam & deleteriam hujus plantæ non adeo violentam esse.

Atque ideo succum expressi, lentoque igne (methodo consueta) extractum paravi.

Hoc linguæ impositum levissimam tantum titillationem excitabat.

Quum autem putarem, linguam fors jam hisce ob multiplicem experientiam assuetam esse, nec debito modo affici tunc granum unum hujus extracti, posui intra palpebram inferiorem oculi dextri.

Nec inde afficiebar aliter ac a quocunque corpore heterogeneo.

Postquam illud per bina minuta reliquissim, copiosæ quidem lacrymæ profluxerunt, nullus autem peculiaris ardor advertebatur.

Aqua



DE ACONITO. 63

Aqua pura illud dein elui, & nec unquam quid molesti observavi.

Factis his experimentis, tentavi, quid hoc extractum faceret corpori ingestum, deglutitum.

In hunc finem conficiebatur sequens pulvis.

℞. Extract. Aconit. gr. ij.

Sacch. alb. dr. ij.

Misce & contere diu in mortario marmoreo, ut fiat pulvis subtilissimus.

Sumpsi ex pulvere mane jejuno ventriculo grana sex; sedulo intentus, quidnam in corpore fieret.

Verum nullam mutationem, nil insoliti observavi.

Secundo die sumpsi grana octo, & nec inde afficiebar.

Idem expertus sum tertio die, dum grana decem deglutivi.

Ex his audacior factus, quarto mane sumpsi grana viginti hujus pulveris.

Nulla inde actio corporis turbabatur, id tantum adverti extrema totum.



64 CAPUT TERTIUM

tumque meum corpus præter confuetudinem toto die multum transpirare, madere.

Quinto die eandem iterum dosin sumpsi, & idem observavi, quod die quarto.

Sexto die idem.

Idem & septimo.

Octavo die abstinui a pulvere, & tunc mador ille, prioribus diebus observatus, non aderat.

Nono die sumpsi iterum grana viginti hujus pulveris, & eodem die fui in continuo madore.

Idem mihi contigit die undecimo, duodecimo, & decimo tertio.

Die decimo quarto nil assumpsi, & contigit prorsus idem, quod observavi die octavo, & nono.

Licuit igitur ex his concludere.

*1mo* pulverem hunc promovere transpirationem, sudorem.

*2do* cum nil in me turbarit: eum tuto posse exhiberi ægris incipiendo ab exigua dosi.

*3tio* Convenire in iis morbis, ubi

ma-



DE ACONITO. 65

materies peccans per vias sudoriferas potest expelli.

Eodem tempore dum hæc meditabar, inter meos ægros habui sequentem casum.

*EXPERIMENTUM I.*

**H**omo, triginta aliquot annorum, mense Octobri 1761. febre tertiana laboravit.

Curatus inde sat bene se habuit.

Mense autem Novembri eum ingens dolor corripuit, qui toti lateri dextro tanta vi infedit, ut æger nec manum, nec pedem movere potuerit; appetitus delebatur, & noctes factæ sunt infomnes.

In quartum mensem remedia omnis generis leniora ac fortissima tam externa, quam interna applicata sunt; ast effectus inde bonus nequaquam sequebatur, morbi status reddebatur pejor, & æger debebat lecto continuo inhærere.

Dolores per vices erant adeo ve-

**E** he-



66 CAPUT TERTIUM

hementes, ut ægro copiosissimas lacrymas extorserint, fecerintque eum ejulare, instar illorum, qui crudeli tortura exercentur.

Præterea conquerebatur maximum dolorem in ipsis ossibus, ac partibus tendinosi.

Cum igitur exhibita remedia nequaquam juvabant, pulverem superius descriptum ex saccharo albo & aconiti extracto exhibui.

Dosis erat granorum decem mane & totidem vesperi, superbibendo vel jusculum vel infusum qualecunque.

Prima nocte sudavit æger copiose, quod ei antea non contigit.

Altero die exhibui eandem dosin, & dolores fiebant multo mitiores, noctu æger iterum sudavit.

Sudor multum foetuit, nec æger hoc sudore debilitatus est.

Tertio die jam ter dedi decem hujus pulveris grana.

Noctu iterum observabatur sudor.

Eadem



DE ACONITO. 67

Eadem dosi continuabatur tunc usque ad diem duodecimum.

Omni noctu corpus sudore maduit, uti etiam de die, dum æger in lecto fuit.

Et sexto die, æger jam ab omni dolore liber fuit, & potuit extra lectum ambulare; appetiit, tranquille dormivit, alvum habuit quotidie naturalem, urina solito copiosius fluxit, & multa gessit flocculamenta, & fila mucosa.

Decimo tertio die, cum æger admodum bene se haberet, abstinuit per triduum ab hoc pulvere; advertit autem quod tunc membra languerent, dolorque iterum se aliquantulum insinuaret.

Suasi itaque, ut sine interruptione adhuc per tres septimanas, quotidie triginta hujus pulveris grana assumeret.

Exacte sequebatur tunc meum consilium, & malum ita fuit emendatum, ut actiones omnes fuerint restauratæ, disparueritque macies, quæ



68 CAPUT TERTIUM

aderat per univcrsum corpus.

Ultimis binis septimanis, quibus hunc pulverem æger fumpfit, nullus observabatur fudor.

Nec rediit dolor, dum ceflavit uti hoc pulvere; jam nunc quatuor menses funt.

*EXPERIMENTUM II.*

**H**omo, 27. annor. vehementiffimo dolore ifchiatico a fex feptimanis vexabatur, dolor tandem vehementiffimus brachium dextrum invafit tanta violentia, ut æger diu noctuque ejularit.

Externa internaque remedia, licet fubinde levamen adtulerint, malum tamen idem manfit; quum dolores post exiguum & momentaneum intervallum mox iterum majores facti funt, & longe deterius ægrum excruciaverunt.

Huic exhibui mane & vefperi grana viginti pulveris fuperius notati.



DE ACONITO. 69

Prima statim nocte miraculi instar dormivit, nec ullum dolorem sensit.

Nec altero die rediit dolor, verum corpus totum, præsertim circa pudenda pruritu ingratiſſimo afficiebatur, & eruperunt ubique pustulæ rubicundæ, acri humore plenæ.

Æger inde bene habuit, appetiit, vires augebantur, continuo lenis mador observabatur per totum corpus, non autem aderat noctu adeo copiosus sudor, ut in ægro præcedenti.

Postquam per octiduum eadem dosi datus fuit pulvis, æger assumpsit purgans ex unciis quinque aquæ laxativæ dispens. Vien. & drachma una sal. polychr.

Alvus inde mota est septies, & disparuerunt pustulæ, minutusque est pruritus, & increverunt vires.

Ufus dein est adhuc per quatuor septimanas eodem pulvere, nil insoliti inde advertit.

Sub finem sumpsit adhuc purgans



paulo superius descriptum, & erat tunc optime sanatus.

Quinque nunc sunt menses, nec ullam passus est recidivam, licet summa sit aeris inclementia.

An hic pulvis solvit acrimoniam in minimis vasculis circa tendines & ossa hærentem, ea obstruentem, producentemque dolores articulorum atrocissimos? an eandem solutam ad corporis peripheriam propellit? bini hi casus videntur id docere.

### EXPERIMENTUM III.

**J**Uvenis, novendecim annor. in tertium annum febre quartana laboravit.

Febris hæc adeo erat pertinax, ut nulli medicamento obedierit.

Cortex peruvianus magna dosi & diu datus mitigavit quidem paroxysmorum vehementiam, eos vero penitus compescere non potuit.

Et quamprimum ager a corticis usu cessavit, denuo increverunt febris exacerbationes.

Cor-



Corpus fiebat macilentum & cachecticum, durante febre membra omnia, & omnes articulos, & spinam dorsi dolor vehemens, dilacerans, & circa extrema urens occupavit.

Dedi huic ægro pulveris de extracto aconiti mane grana decem, & totidem vesperi.

Primo die ter inde purgabatur, die secundo quater.

Febris paroxysmus tertio die fuit longe mitior, vix ulli advertabantur dolores, sub fine tamen æger copiosissimo sudore maduit.

Vires inde diminutæ non sunt.

Tertio, quarto, & quinto die alvus adhuc aliquoties movebatur citra virium prostrationem, imo æger se inde levare ajebat.

Sexto die levissima tantum horripilatio, vagus & brevis calor observabantur, & his mox supervenit copiosissimus sudor.

Septimo die alvi fluxus desiit, & prodierunt faeces compactæ.

Idem contigit nono die, rediit &



tunc appetitus, noctes fiebant tranquillæ; & somnus vires restauravit.

Nono die levis tantum sudor, volansque per membra calor ægrum pervadebant; cæteroquin bene se habuit.

Post nonum diem nulla prorsus manifesta evacuatio, aut per urinam, aut alvum aut sudorem contigit.

Dabatur adhuc pulvis in eadem dosi per tres septimanas, & hoc tempore æger perfecte sanabatur.

Jam bini menses elapsi sunt, & non rediit febris.

Fecit igitur *Aconitum*, quod nec cortex peruvianus, nec aliud remedium potuit efficere.

#### EXPERIMENTUM IV.

**V**irgo, viginti aliquot annorum, jam in quintum annum habet tumorem tactu vere osseum, qui vix non totam sinistram faciem occupat.

Immobilis est, & jurares, eum ex ipsis ossibus excrevisse.

Sub



DE ACONITO. 73

Sub maxilla inferiore multæ glandulæ quoque tangebant, & erant scirrhosæ.

Motus maxillæ erat exiguus, valde difficilis, dolens.

Remedia summe solventia, mercurialia, interne externeque applicata non tantum malum non mitigarunt, verum excitarunt simul tantos dolores, ut ægra dormire non potuerit.

Cicuta, per plures menses & magna dosi exhibita, malum nec auxit nec diminuit.

Nunc hæc ægra in tertium mensem utitur pulvere ex aconiti extracto, & saccharo, & tumor non solum mollior est, & hinc inde mobilis, verum jam longe plus quam dimidia pars ejus magnitudinis disparuit, maxilla est multo mobilior.

Noctu subinde hæc ægra copiose sudat, & tunc se levare sentit; cæteroquin nulla sensibilis evacuatio observatur.

Appetitus bonus est, vires integræ, & somnus tranquillus.

Jam



## 74 CAPUT TERTIUM

Jam datur quotidie drachma una & dimidia hujus pulveris; prorsus nil mali observatur, & tumoris moles semper minuitur.

Alvus segnis est, & ideo omnia tertia septimana exhibetur purgans ex granis viginti salis polychresti, & granis quadraginta pulveris radicis Jalapæ.

*EXPERIMENTUM V.*

**F**œmina, quadraginta aliquot annorum, ob tumorem durissimum, magnitudinis ovi anserini, hærentem infra parotidem dextram per plures menses utebatur cicuta; cum autem inde levamen non senserit, abstinuit.

Hac hyeme corripiebatur vehementissimis doloribus rheumaticis, qui adeo erant pertinaces, ut ægra nec dormire nec subinde præ dolore cibos deglutire potuerit; nec juverunt medicamenta adhibita.

Petiit igitur denuo meum consilium.

Et



DE ACONITO. 75

Et exhibui statim pulverem de extracto aconiti; dosis erat granorum decem mane & totidem vesperi.

Primo die octies inde purgabatur, & dolores mox minuebantur, quarto & quinto die jam omnia membra citra dolorem potuit movere; & ægra bene se habuit.

Monui dein, vellet hunc pulverem adhuc assumere per plures septimanas, ne dolores in membris redirent.

Sequebatur consilium, & tertia septimana advertit, tumorem præter spem esse minorem, mobiliorem, molliorem.

Sumit nunc quotidie hujus pulveris grana triginta, nulla oritur manifesta evacuatio, omnes dolores absunt, corpus reficitur, sensimque minuitur tumor.

*EXPERIMENTUM VI.*

**I**dem experior in virgine, viginti aliquot annorum, quæ ob colli tumo-

mo-



76      **CAPUT TERTIUM**

mores scirrhosos per tres menses sine multo effectu assumpsit cicutam; minuuntur usu hujus pulveris tumores, fiuntque mobiles.

Nunc secundus mensis ad finem vergit, & pauca tantum reliquiae supersunt.

Per quinque septimanas jam quotidie datur drachma integra hujus pulveris, ægra bene appetit, quiete dormit, est robusta.

Hinc patet hunc pulverem nullam adferre noxam, & prodesse plurimum.

*EXPERIMENTUM VII.*

**V**irgini, viginti duorum annorum, exhibui hunc pulverem ob tumorem ingentem in regione iliaca dextra.

Volui antehac tentare cicutam, verum hujus ægræ Idiosyncrasia eam non tulit;angebatur inde & vomuit.

Sumpsit ex hoc pulvere mane & vesperi grana decem.



Alvus inde quotidie bis, terve movebatur.

Hæc ægra jam per medium annum nauseam habuit a carne, & quamprimum carnis tantum odorem percepit, vomituriebat.

Sumpto per triduum hoc pulvere, cæpit appetere carnes, easque comestas, optime digessit.

Tertia septimana ex usu hujus pulveris tumoris moles erat multo minor, & copiosa, glutinosa, & flavescens materies ex uteri vagina profluxit.

Finito secundo mense tumor fere totus jam disparuit. Appetitus viget, augentur vires, verum copiosa materies, flava, crassa continuo stillat ex utero

### EXPERIMENTUM VIII.

**V**Irgo, triginta aliquot annorum, a pluribus annis in utraque mamma percepit tubercula diversæ magnitudinis, mobilia, & hæc subinde vehere



## 78 CAPUT TERTIUM

hementissimo dolore afficiebantur; qui tamen dolor absque alio remedio iterum sponte disparuit.

Neglexit hoc malum ægra aliunde miseris assueta.

Tandem tuberculorum moles aucta fuit, eaque in unum corpus durum pugno virili majus concreverunt in utraque mamma, tantusque ac continuus accessit dolor, ut ægra debuerit lecto decumbere.

In utraque mamma hinc inde rupta est cutis, quæ erat tota livida, prodiitque tunc materies acris, urens, vicina rodens.

Data cicuta non tantum malo posuit limites, sed & sanavit ulcera, molemque magnam dissolvit in minora tubercula, & horum plus quam dimidiam partem fecit disparere, sopivitque dolores.

Hæc adeo celeris. & felix morbi mutatio contigebat spatio quatuor septimanarum.

Dein vero affectus non amplius adeo manifestus & velox fuit.

Imo



Imo hujus medicamenti usus per octo menses continuatus malum fere in eodem statu reliquit.

Ægra tamen ab illo abstinere non voluit, contenta eo felici effectu, qui primis septimanis contigit, quique malum reddidit adeo mite, ut ægra iterum suos labores peragere potuerit.

Tempore nunc versus ver vergente corripiebatur tussi violentissima, ita quidem, ut necesse fuerit, ei aliquoties venam secare, utque debuerit per plures septimanas lecto inhærere,

Debitis tamen remediis tussis iterum sopita fuit; verum tubercula in utraque mamma cœperunt vehementer dolere, & orta sunt ulcuscula acrem humorem plorantia.

Quum durante tussi multa assumpfit medicamenta, & in iis deglutientis jam percepit nauseam, nolui ei amplius exhibere cicutam; dedi itaque pulverem ex saccharo & extracto aconiti, qui gratus est, & parva dosi sufficit.



## 80 CAPUT TERTIUM

Bini nunc menses finiti sunt, quibus hunc pulverem assumit, & omnia ulcera jam obducta sunt firma cicatrice, dolores cessarunt penitus, scirrhosi ac dolentes tumores, qui & post longum cicutæ usum in eodem semper statu permanferunt, jam ultradimidium decreverunt mole.

Adfunt vires, adest appetitus, vigentque omnes actiones, alvus solvitur quotidie, nulla autem manifesta & constans evacuatio sub usu hujus pulveris in hac ægra observatur.

### EXPERIMENTUM IX.

**F**emina, 43. annorum, atrocissimo dolore in brachio, pedeque dextro ita affligebatur, ut diu noctuque ejularit.

Nec ullo remedio opiato potuit somnus conciliari.

Adhibui per binas septimanas diversa medicamenta, ægra tamen vix ullum levamen percepit, vires conciderunt penitus, & corporis habitus multum extenuabatur. Ten-



DE ACONITO. 81

Tentavi tunc pulverem de extracto aconiti, dando mane grana viginti, & totidem vesperi.

Alvus aliquoties inde movebatur.

Dolores facti sunt mitiores, & secunda nocte ægra jam tranquille dormivit per tres horas.

Continuabatur eodem pulvere, exhibendo ter de die grana viginti.

Sexto die eruperunt per totum corpus pustulæ latæ, rubræ, prurientes, & tunc fere omnis dolor cessavit.

Idem pulvis adhuc dein per tri-duum assumebatur, tandem dabatur ægræ purgans ex unc. vi. aquæ laxativæ disp. Vien. & ex drach. j. falis polychresti.

Hoc purgans duodecies operatum est cum Euphoria, & ab hoc tempore ægra dolorem non sensit, & potest brachium pedemque libere movere, quod ante pulveris usum erat impossibile.



## EXPERIMENTUM X.

**E**Rat in nostro nosocomio homo , triginta aliquot annorum , qui atrocissima arthritide jam ultra novem menses decubuit.

Remedia interna externaque magna dosi , & diu exhibita nil prorsus juverunt.

Omnes articuli totius corporis dolentissimo tumore erant inflati , æger nec manum nec pedem potuit movere , noctes erant insomnes , inquietæ.

Quamvis diversissima & alias maxime utilia remedia huic ægro fuerint adhibita , morbus tamen nequaquam mutabatur , imo quædam symptomata videbantur exacerbari .

Nec cicuta , ultra sesqui mensis spatium magna dosi diligentissime assumpta , levamen ullum attulit.

Miserrimo hoc in statu cum nullum ferme medicamentum , quod sanitatem promitteret , superesset , roga-  
vi Dominum Doctorem *Collin* , Eru-  
di-



ditissimum meum collegam, vellet pulverem de aconiti extracto huic ægro præbere.

Post paucos dies obstupuimus mirum effectum, non tantum dolores omnes mitigabantur, sed & jam quædam in membris mobilitas videbatur.

Post binas septimanas tumor articulorum jam erat multum diminutus, aderat in manibus eorumque digitis major & indolens flexilitas ac movendi potentia.

Finita tertia septimana æger fulcris suffultus jam potuit pedibus uti.

Quiete absque omni dolore dormivit, appetiit, vires augebantur, nec ullum ex pulvere molestiam, licet sæpius rogatus, conquerebatur.

Sub initium secundi mensis sine fulcris ambulavit, manu sinistra pugnatum firmum formavit, id autem dextra manu præstare non potuit, quoniam adhuc aderat tumor circa carpum.

Finito secundo mense omnia membra sæpe libere movit, liber erat ab



## 84 CAPUT TERTIUM

omni dolore, omnes fere articuli mollem ac flexilitatem naturalem habebant.

Sensibilitas tamen in iis partibus, quæ antea dolente tumore erant tensæ, major percipiebatur, ac id in statu sano fieri solet.

Finito tertio mense hicce homo sanus discessit e nosocomio.

Quanto oblectamento hoc experimentum Doctissimo Domino *Collin* mihiq; fuerit, bonus quivis facile intelliget.

Etenim novem mensium labor assiduus & omne adhibitum medicamentum frustra fuit in hoc ægro, solus pulvis de aconiti extracto miserum, quem jam pro perduto habuimus, feliciter servavit, sanavit.

Primis duabus septimanis æger ex hoc pulvere mane sumpsit grana quindecim, & totidem vesperi.

Tertia septimana ter quotidie dabantur grana quindecim; in principio secundi mensis eadem dosis quater fuit exhibita, nec opus fuit eam augere, quum



quum optatus inde effectus obtinebatur.

Sub usu hujus pulveris ter datum est purgans, quod semper cum euphoria aliquoties movit alvum.

### EXPERIMENTUM XI.

**F**emina, 40. annorum, vehementi membrorum, articulorumque omnium dolore laborabat.

Dolor hic in principio vagus erat, dein figebatur in uno alterove articulo, tandem iterum permeavit omnia membra, dein per aliquot dies fere penitus evanuit.

Formabantur sensim in manuum & digitorum articulis nodi, ac tophi durissimi.

Hac ratione jam per integrum annum bona ac firma sanitate destituebatur.

Tres nunc menses sunt, quod dolores fixam in pedibus manibusque sedem occuparint, tanta quidem vehementia, ut nec pedibus insistere, nec



## 86 CAPUT TERTIUM

manus citra summum dolorem movere potuerit ; contrahere digitos erat impossibile.

Etenim præterquam , quod dolores acutissimi id impediverint , aderant ad phalangum articulationes tophi (quasi veræ exostoses) qui mole nucem juglandem majorem superabant , nec præ dolore ferebant adtactum , & ideo noctes erant quoque infomnes.

Misera hoc in statu ferebatur ad nostrum nosocomium .

Quum per integrum hoc tempus variis usa esset remediis sine ullo effectu , consultum credidit solertissimus Dominus *Collin* , ut illico daretur pulvis de aconiti extracto.

Spatio trium quatuorve dierum summa cum lætitia vidimus , cessare penitus dolorem in aliquibus partibus , & in reliquis diminui adeo , ut jam noctes essent tranquillæ , rediretque appetitus , antea omnino deletus.

Secunda septimana jam liberius movit pedes , & manus.



Sub finem primi mensis in manibus fere omnes dolores disparuerunt, tophi erant minores, ferebant adtatum rudiolem, & jam poterant digiti manuum flecti.

Pulvis nec per alvum, nec per urinam, nec per vias sudoriferas nobis manifestam evacuationem ostendit, ægra antea morosa, & debilis, jam jucundior fiebat, sedit in lecto, & loquebatur aliis.

Finito secundo mense ne minimus aderat dolor in manibus, quidam tophi jam penitus evanuerunt, quidam autem erant adeo parvi, & molles, ut nec tertia voluminis pars amplius superstes fuerit.

Ægra jam firmos pugnos poterat formare; vires augebantur quotidie.

Tertio nunc mense continuat pulveris usum, & tophi fere quotidie minuuntur, & dolores cessarunt in omnibus membris, atque articulis.

Finito tertio mense solo hujus pulveris usu curata valedixit nosocomio.



## EXPERIMENTUM XII.

**A**Ncilla, viginti aliquot annorum, malo venereo pessime afficiebatur.

Orti sunt plures in capite tophi, qui magnitudine ovum gallinaceum superabant.

Glandulæ submaxillares, parotidesque in ingentem molem, tactu vere osseam, intumuerunt, concreveruntque.

Partes has tumidas ac induratas, & omnes totius corporis articulos & membra tantus tenuit dolor, ut misera nil comedere, nec quiete jacere, minus adhuc dormire potuerit, deglutitio erat difficillima, & masticatio impossibilis.

Summum denique aderat vitæ periculum, dum hæc ægra in nosocomium ferebatur.

Casu rite examinato, & collatis omnibus symptomatibus non audebamus Dominus *Collin*, & ego tentare  
re-



remedia mercurialia, requirebatur celeris in melius mutatio, ne præ nimio dolore, aut ex somni, nutrimenti, ac virium defectu ægra extingueretur.

Quum egregios ex pulvere de aconiti extracto effectus vidimus, & frequentiori experientia eramus convicti, eum sine noxa posse ægris exhiberi, transibatur illico ad ejus usum.

Secundo & tertio die jam dolores mitiores erant, dein sequebatur somnus, & appetitus, & deglutitio fiebat longe liberior.

Alvus ope hujus pulveris solvebatur aliquoties quotidie, & aucta est corporis totius transpiratio.

Intra mensis spatium non tantum topi omnes diminuti sunt, sed & liquecebat multum moles durissimarum glandularum submaxillarum ac parotidum; de quo dubitabamus in principio; etenim hi tumores non tantum tactu, verum & sonitu, dum leviori instrumento percutiebantur, osseam compagem referebant.

Aberat omnis dolor, augebantur



## 90 CAPUT TERTIUM

quotidie vires , ægra quiete dormivit , appetiit , & masticationem ciborum jam absque omni impedimento exercuit .

Secundo mense tophus , qui in medio offis frontis hærebat , rumpebatur , exiitque multa materies ichorosa , sanguine mixta .

De reliquis tophis fere nil amplius erat videndum , nec percipiendum tactu .

Sub initium tertii mensis jam omnis glandularum durities erat soluta , aderant vires , functionesque omnes videbantur ad statum naturalem redigi .

Paucæ reliquiæ , quæ nunc adhuc circa genas observantur , quotidie minuuntur , ita quidem , ut hæc ægra a suis miseriis brevi integre restitueretur .

Ulcus , rupto in osse frontis topho ortum , quod in principio foedum erat , & habuit labia retorrida , mali moris , applicatis linteis carptis , infuso cicuta madidis , optima carne reple-



plebatur, & bona firmaque cicatrix  
ubique formatur.

*EXPERIMENTUM XIII.*

**V**Ir (40. aliquot annorum,) vera  
anchylofi circa articulum cubiti  
finistri laborans, venit ad nostrum  
nosocomium.

Totus articulus, jam a multis  
mensibus in ingentem tumorem, ad-  
modum dolentem, erat elevatus.

Varia externa internaque reme-  
dia longo tempore applicata, nil mu-  
tarunt; imo quædam ex iis magnos  
produxerunt dolores.

Tentabatur pulvis de aconiti ex-  
tracto, & intra sesqui mensis spatium  
disparuit tumor, evanuit omnis do-  
lor, rediitque articulo debita mobili-  
tas.



*EXPERIMENTUM XIV.*

**F**œmina, 34. annorum, a quatuor mensibus ingentes patiebatur dolores in crure & pede dextro.

Nullus aderat tumor, & cutis color fuit naturalis.

Remedia varii generis interna & externa nil juvabant, & ægra debuit lecto inhærere, nec ob dolores dormire poterat.

Datus autem pulvis de Aconiti extracto mox sopivit dolores, attulit somnum, & intra tres septimanas ægram perfecte sanavit.

Ex enarratis experimentis evidenter deducitur, Aconiti extractum esse innocuum, & valde efficax medicamentum.

Parva dosi præstat id quandoque, quod alia fortissima remedia magna dosi & longo tempore exhibita efficere nequeunt.

Acre, quod circa articulos, tendines, & ossa hæret, irritat nervos, exci-



DE ACONITO. 93

excitatque summos dolores, solvitur inde & agitur in motum, & per urinam, vel alvi fluxum, vel per sudorem, vel per insensibilem transpirationem ex corpore ejicitur.

Tumores scirrhosos, tophos nodosque emollit, & quandoque penitus dissipat.

Atrocissimos articulorum partiumque induratarum dolores sopit, tollit.

Ulcera, quæ aliis medicamentis non obediunt, quandoque depurat, & firma cicatrice consolidat.

In aliquibus casibus Aconitum virtute superat Cicutam, & curat quandoque eos morbos, in quibus cicuta non convenit, aut nullam virtutem habet.

Interim tamen & quandoque exhibetur Aconitum sine effectu, & data tunc cicuta sæpe morbum levat, curat.

Hinc de cicuta semper verum manet: esse eam medicamentum summe efficax in morbis curatu difficillimis.



94 CAPUT TERTIUM

Ab eo tempore, quo supplementum de cicuta in lucem edidi, nova iterum multa, atque pulcherrima experimenta a nobis usu cicutæ sunt instituta.

Dissipabantur veri ac inveterati dolentesque scirrhi, curata sunt pessima ulcera aliis omnibus medicamentis pertinaciter resistentia. Mammæ scirrhus, pugnum virilem magnitudine æquans, exesus pessimo cancroso ulcere, quod continuo in latum profundumque serpsit, usu cicutæ abiit in gangrænam, & totus sponte separatus excidit, formabatur inde ingens fovea, quæ autem continuato usu cicutæ interne & applicato externe fomento ex decoctione corticis peruviani mox nova & optima carne repleta fuit, & tandem adeo pulchra cicatrice obducta, ut mamma naturalem penitus molem & figuram iterum habeat.

Integre curati sunt pessimi cancri in lingua & faucibus; pertinacissimi dolores rheumatici ac arthritici sola cicuta sopiebantur.



Vomitus chronicus, nulli remedio cedens, sæpius eodem remedio perfecte tollebatur.

Scabies, pessima faciei lepra (frustra jam antea datis plurimis, ac fortissimis medicamentis) sola cicuta curatæ sunt.

Articuli tumidi, dolentes, ac rigidi fomento cicutæ, & ejus usu interno in multis ægris ad naturalem ac sanum statum redigebantur.

Casus hi præter alios notatu dignissimos a Doctissimo Domino *Collin* describentur.

Hæc & alia experimenta usu *Cicutæ*, *Stramonii*, *Hyosciami* & *Aconiti* instituta intra privatos parietes facta non sunt, verum instituebantur in publico nosocomio, ubi plures peritissimi medici ac chirurgi ægros a principio ad finem usque viderunt.

Maxime autem nobis gratulamur, quod *Illustrissimus Liber Baro van Swieten* (æquissimus harum rerum æstimator) sæpius nostrum nosocomium accedat,



## 96 CAPUT TERTIUM

cedat, ægrosque, qui ad experimenta adhibentur, examinet, morbique atque curationis decursum accurate observet, ita quidem, ut nullum de rei veritate dubium remaneat, cum hac ratione plures curationes propriis oculis vidit.

Infinitas propterea *Ipsi* gratias debemus, quod hunc laborem in se suscipere sit dignatus; *Sua* præsentia nobis semper novus addebatur stimulus ad continuanda ac perficienda ulteriora experimenta.

## ANIMADVERSIONES.

**Q**ui descripta hæc remedia ægris exhibet, incipiat semper a minima dosi, augendo sensim.

Si vel minimus malus effectus ex usu similis remedii contingat, abstinendum est illico.

Si vero mali nihil superveniat, lenta & prudenti manu augenda est dosis, donec optatus observetur effectus; dein autem augere amplius dosim



sim non est necesse, quamdiu diem effectus continuat.

Si quis usu & experientia novit aliud remedium, quod meis virtute simile, vel adhuc efficacius securiusque est, oro, adhibeat potius illud.

Si vero tale quid non superest, liberum cuivis manet: velle dare unum ex meis, vel illud negligere, & ægrum relinquere fato.

Nemo cogitur, videat tantum quilibet, quid ei sua conscientia dicat, quid jubeat amor, quem proximo debemus.

Demonstravi, qua methodo hæc remedia possint ægris tuto exhiberi.

Patet ex experimentis, in quibusne morbis hæc prodesse videantur.

Hoc sufficit, & ulterior labor plura dabit.

Doctissimus *Max. Locher*, Physicus in magno nosocomio ad *S. Marcum*, hæc mea remedia in pluribus ægris jam tentavit, finistri inde nil unquam vidit, sed egregios observavit effectus; & dum plura experimenta collegerit, ea fideli calamo describet.



98 CAPUT TERTIUM

Clarissimus *Lebmacher*, vidit in febre intermittente, & in gonorrhæa inveteratissima profuisse meum pulverem ex saccharo & aconiti extracto, ubi jam a longo tempore omnia alia remedia incassum erant adhibita.

*Georgius Hasenöbrl*, solertissimus in nosocomio Hispanico Physicus, suis maniacis præbuit extractum stramonii ad drachmam dimidiam & ad drachmam integram spatio viginti quatuor horarum, nulli nocuit, magnas in melius mutationes observavit.

An eæ autem constantes sint futuræ, tempus docebit.

Paravi interim campum, in quo nobis arandum laborandumque est, ut, morbo decumbentium calamitates, & cruciatus minuantur, leventur, curentur.

Perhumaniter igitur omnes bonos medicos oro, velint ii unita opera meos conatus adjuvare, velint promovere opus, quod afflicto & ægro-tanti homini adeo salutare futurum videtur.

Et



DE ACONITO: 99

Et licet præsens sæculum fors supercilioso oculo nostros intueatur labores, id nequaquam nos deterreat, erunt posterī, qui æquiori animo judicabunt, & meritas nobis agent gratias.

F I N I S.



THE MOUNTAIN  
The first part of the book is  
a history of the mountain  
from its discovery to the  
present time. It is a  
very interesting and  
valuable work.

W. I. M. S.